

P. VERGILI MARONIS  
GEORGICON  
LIBER III

TE quoque, magna Pales, et te memorande canemus  
pastor ab Amphryso, uos, siluae amnesque Lycae. 5  
cetera, quae uacuas tenuissent carmine mentes,  
omnia iam uulgata: quis aut Eurysthea durum  
aut inlaudati nescit Busiridis aras?

cui non dictus Hylas puer et Latonia Delos  
Hippodameque umeroque Pelops insignis eburno,  
acer equis? temptanda uia est, qua me quoque possim  
tollere humo uictorque uirum uolitare per ora.

primus ego in patriam mecum, modo uita supersit, 10  
Aonio rediens deducam uertice Musas;

primus Idumaeas referam tibi, Mantua, palmas,  
et uiridi in campo templum de marmore ponam  
propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat  
Mincius et tenera praetexit harundine ripas. 15

in medio mihi Caesar erit templumque tenebit:  
illi uictor ego et Tyrio conspectus in ostro  
centum quadriugos agitabo ad flumina currus.

cuncta mihi Alpheum linquens lucosque Molorchi  
cursibus et crudo decernet Graecia caestu. 20

ipse caput tonsae foliis ornatus oliuae  
dona feram. iam nunc sollemnis ducere pompas  
ad delubra iuuat caesosque uidere iuuencos,  
uel scaena ut uersis discedat frontibus utque